



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Symbolum LXIX. Vlysses Polyphemum Cyclopem exoculat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Etsi non aliquà nocuisset, mortuus esset. Eclog. 2.
 Id Ulysses propositum sibi habuit: id effectum dedit. Siracides c. 6.
 monet: *Ab inimicis tuis separare, & ab amicis tuis attende.* Maxima
 sunt enim in ipsis amicitii insidiæ. Hinc illud Poëtæ:

Fallere difficile est inimicum: at amicus amicum

Fallere non magno Cyrne labore potest.

Antigonus Rex, teste Plutarcho, quotidie Deos rogabat, ut se ab
 amicis protegeret: rogantibus, cur non potius ab inimicis, respondit:
Quia hos cognitos vitare possum: illos verò fectos & fucatos cavere non possum.
 Tu igitur ne fide; serpentibus cincti sunt amici falsi; venena spargent:
 ne crede fronti, nunquam magis nocent, quàm dum blandiuntur, rident?
 sanguinem meditantur. Laudant? damnant animo, insidias intentant.
 Consilia suggerunt? ne tange, in interitum eunt. Fuge lupos sub ovil-
 la pelle, illabuntur suaviter, & antè vulnerant, quàm dentem senseris.

S Y M B O L U M L X I X.

Vlysses Polyphemum Cyclopem exoculat,

Æneid. 3. Metam. 13. Homerus lib. 9. Odyss.

Ethicè.

1. Ingenium præstat robori. 2. Somnolentia & negligentia pasto-
 rum. 3. Cyclopis donum quale. 4. Crudeles tyranni.

Cyclopes *Neptuni & Amphitrites* filii, ministri Vulcani, Jovi sua ful-
 mina, Neptuno tridentem, Plutoni galeam, heroibus arma fabri-
 cabant. Dicitur sunt ab unico oculo, quem in media fronte habe-
 bant. Incoluerunt eam Siciliæ partem, ubi mons *Ætna* flammam ejacu-
 latur. Immani sunt barbarie, & proceritate portentosa. Inter hos, ut
 vastitate corporis, sic atrocitate animi eminebat *Polyphemus*,
 Monstrum horrendum, informè, ingens, cui lumen
 ademptum.

In quo voracitas cum crudelitate certabat.

Trunca manum pinus regit, & vestigia firmat:
 Lanigeræ comitantur oves; ea sola voluptas,
 Solamèque mali, de collo fistula pendet.

Pastorem

Pastorem is ovium, magis autem viarum obsessorem, & latronem agebat; quos ex insidiis interceptos, mox in horridum rapiebat antrum, & ad saxum allisos exanimabat. Deinde Leonis instar, aut molori, reuebatur super occisos, & membra tabo fluentia, artusque semianimes, & ipsa etiam ossa avidam in alvum condebat. Venerat fortè eas in oras Vlysses, adversis casibus per varia jactatus maria; egressusque navi cum duodecim sociis, sive regionis explorandæ, sive aquationis causâ in speluncam illam immanem descenderat. Ibi subito à Polyphemo intercepti sunt; cumque jam sex ex ejus commilitonibus dilacerati, & devorati fuissent, Vlysses ad ingenium suum confugit. Propinat giganti, invocatis prius Diis generosissimi vini poculum. Quò ille ad fundum exhausto, protinus coepit alto somno corripì, è medio resupinus in antro sonantissimos ronchos proflare; simulque crapulâ gravis saniem occisorum, & cruentas dapes cum ingesto mero eructare. Vlysses occasione arreptâ, se cum sociis, circumfundit sopito Cyclopi, oculumque in frontis medio situm, ingentis instar clypei, acuto stipite terebrat, monstroque excoecato fugam molitur. Dolo vulneris experrectus Polyphemus dum ostii vestibulum expansis manibus obsidet, Vlysses & Socii arietum se ventribus subligantes, & sub iis latentes, unâ cum grege in pascua misso elabuntur. Fraude seriùs deprehensa, Cyclops fugientes insequitur, & cum altior undis, ingrediens per mare, navigantibus frustra manum injicere conaretur, clamorem sustulit immensum; quo ex ceteris vicinis è silvis & montibus reliqui cyclopes accurrunt; à quibus interrogatus de autore tantæ calamitatis, respondit nomen ei Οὐτιν, hoc est, *Neminem* esse (ita enim sese appellaverat Vlysses) excipiunt illi responsum cum amaro sarcasmo & lamentantem reliquunt, non oculo tantum, sed etiam mente captum.

Ethica.

I. (a) Quanta sit vis ingenii, Vlysses docet, qui cum Polyphemo compositus, musca erat ad elephantum. Et tamen hic homunculus tantæ molis turrim stravit, non viribus, sed consilio. Polyphemus unum in fronte oculum præferbat: est enim hoc vastis corporibus insitum, ut parum rationis in iis reperiatur. Sapiùs enim:

Major in exiguo regnavit corpore virtus,
Nulla in tam vasto corpore mica salis.

E e e 3

Id

(a) *Ingenium præstat roboti.*

Id quod statura pusillus, falsò diciturò notavit, dicens: *Superiora magnarum adium non habitari*. Eleganter Phauorinus philosophus: nihil in terris magnum præter hominem: nihil in homine magnum, præter mentem. Sic sternit parva spatiosum vipera taurum. Sic David fundâ dejecit formidabilem Goliathum; ibique mortem intulit, ubi nullum munimentum invenit, scilicet in cerebro, quod ictui patuit, quia sine mente fuit. In eo quoque sagax Vlyssis ingenium apparuit, quòd lanigero sub grege latens, cum sociis evaserit. Rides fabulosum strategema? historicum audi. Circa annum 1311. Rhodus insula simili astu ab Equitibus S. Joannis capta est. Adverterat Equitum Præfectus pastores quot-diebus ovium greges manè educere, & sub obscuro vespere reducere. Immixti his plures milites pelle ovina tecti, manibus & pedibus reptantes; ipse verò Dux habitum pastoritium indutus subsequatur: primò portis, deinde urbe & insula potiti sunt. Henric. Engelyran. in Pantheo, festo Nativit. Domini. §. 2. ubi vitiosè annotatus annus.

II. (b) Polyphemo exitium vinum quoque attulit, nam maximos quoque in ruinam impellit temulentia. Et tamen pastor erat, quem vigilantia decebat, & cura pecoris. Væ ovibus, quarum custodes uno tantùm præditi sunt oculo, hoc est, modico prudentiæ lumine, & hoc ipsum perpotandi libidine obnubilant, obscurant, obtenebrant, extinguunt! Cæco ductore, quæ spes est gregi? Vlysses etiam voluptatis typum exhibet: dulce propinat poculum, in suavem declinat lumina somnum; dum dormitur, interitur.

III. (c) In adagiis fertur: *Cyclopi donum*, nam Polyphemus delectatus dulci vino, quod illi donârat Vlysses, munus ei promissit; quò acceptò magnopere sit gavisurus, si denuo sibi ministret de sua lagena. Dedit Vlysses iterum atque iterum. Porro cùm jam vîno delinitum, crederet mitiùs responsurum; reposcit Vlysses munus promissum. Cui cyclops hunc in modum respondit.

Ὅστιν ἐγὼ πύματον ἔδομαι μετὰ οἷς ἐτάροισι,
Τὲς δ' αἶψας πρόσθεν τοῖδε τοῖ ζηνήϊον ἔσαι.

Homer. Odyss. lib. 9.

Post socios mihi, postremusque vorabitur Vtis,
At reliqui prius: hoc ex me tibi munus habebis.

Sic Micyllus cerdo apud Lucianum, cùm quereretur, quod non statim cum aliis in cymbam Charontis reciperetur, hanc ipsam ei Clotho

(b) Somnolentia & Negligentia pastorum. (c) Cyclopi donum quale.

tho *Parca* beneficii loco imputavit morulam, quã paulò tardiùs ad inferos descenderet. Hujusmodi sunt ferè tyrannorum & latronum beneficia, qui solent hoc ipsum magni beneficii loco imputare, quòd aut minus aut seriùs noceant. In hanc sententiam Cicero Philipp. 2. Quod est aliud beneficium latronum, nisi ut commemorare possint, iis se vitam dedisse, quibus non ademerint.

IV. (d) In eo quoque Polyphemus Tyrannos refert, qui epulas suas humano sanguine instruunt. Hinc *Cyclopica vita*, id est, effera, batbara, crudelis, immanis, Divùm hominùmque contemprix. Quàm arroganter Cyclops apud Homerum compellat Vlyssiem, vitæ suæ, sociorùmque gratiam per superos rogantem!

Desipis, aut certè longinquis hospes ab oris
Hic ades, ut qui me jubeas, curave moveri,
Sive timore Deùm: neque enim Cyclopica turba
Curamus summùmve Jovem, Divòsve beatos.

Ejusmodi Polyphemi fuerunt Bajazetes, de quo SURIUS anno Chr. 1511. Expugnata Metone Peloponensi urbe, promiscuèque in omnem sexum, ætatem, conditionem strage edita, mille erant capita vel servituti vel libidini servata. Captivi longis adstricti funibus ad Bajazetis prætorium perducti, sævissimi Tyranni jussu sub ejus oculis immanè trucidati sunt. Talis Polyphemus fuit Lucius Cornelius Sylla Dictator Roman. qui in bello Mariano septem millia militum contra se arma ferentium in *Circum* maximum conclusos jugulari imperavit. Sub ipsum orationis suæ principium, quam in æde Bellonæ ad senatum habuit, coorto ad tot occisorum miserandos ejulatus in omnium Senatorum animis horrore, concussioneque mentium; ipse sedens vultu immoto jussit eos auribus & animis sibi dicenti adesse; in pauculas enim mastigias suo imperio animadverti. Non secùs ac si tot millium laniena, non nisi canis unius, aut anseris esset decollatio. *Volesus* sub Augusto, Asiæ Proconsul, qui ducentos quinquaginta uno die securi percussit, ut Seneca scribit de ira c. 5. Incedens inter cadavera superbo vultu, quasi magnificentum quiddam, conspiciendumque fuisset. Græcè proclamavit, ὡς πρᾶγμα βασιλικόν. Ó regiam rem! Talis *Hannibal*, quem dixisse ferunt, cum fossam plenam humano sanguine vidisset: Ó formosum spectaculum! Talis *Aulus Vitellius*, qui cum adisset campos, in quibus à suis legatis erat pugnatum contra Othonem, cadaverum tabe horrentes, detestabili voce dixit: *optimè olere occisum hostem, & magis civem.* Sueton.

(d) *Cendelitas tyranni.*

ton c. 10. Talis C. Caligula, cujus votum erat, unam ut cervicem populus Romanus haberet, quam unico ictu dejicere posset. Talis Phocas Orientalis Imperii inuasor, cui in animo erat omnes e medio tollere, in quibus nobilitatis, aut gloriae, aut prudentiae indicium esset. *Niceph.* lib. 18. c. 55. anno Ch. 602. Talis *Ezelinus*, barbaro potius quam Italico solo dignus Tyrannus, qui XII. millia civium Patavienorum ad unum omnes uno compulsos loco necari iussit. *Iovius.* Talis Wenceslaus Imp. & Bohemiae rex, cui perpetuus comes carnifex & suppliciorum minister; quo tam familiariter utebatur, ut etiam filium ipse de S. fonte levavit. *Dubrau.* lib. 23. Taceo Phalarides, Busirides, Diomedes, Mezentios & mille alios. Quibus omnibus crudelitatis monstris non defuit suus Vlysses, qui ultionem sumpsit, & ingurgitam cruoris humani tabem revomere coegit.

SYMBOLVM LXX.

Vlysses Circae triveneficae incantamenta solvit,

14. *Metamorph.*

Ethicè.

I. Mutatio hominis in bestiam. 2. Illecebrae voluptatis mala.

Circe, Solis & Perseidis Nymphæ filia, Ætæ, Colchorum regis soror, veneficiorum peritissima; Sarmatarum rege, cui nupserat, veneno sublato, regnoque per scelus parto, cum crudelius imperaret, ab incolis pulsa, in Italiam profugit, & in Circae monte sedem sibi delegit, *Scyllam* puellam in monstrum marinum transmutavit: *Picum*, Latinorum regem in avem sui nominis, alios in alias bestiarum formas vertit. Regiam inhabitabat splendidam, & medio in luco sitam, locum, omnibus delitiis affluentem. In primo limine hospites occurrebant variae belluæ, sed cicuratae, lupi, ursi, leones, canum instar eos adulantes. Post hos sese ferebant obviam, & adventores per atria marmore strata deducebant rara venustate Nymphæ; donec ad interiora veniretur. Ibi in conclavi ornatissimo, sublimis in throno, in aurea veste, & palla fulgida sedebat venefica, ad omnem humanitatem composita. In cuius ubi conspectum hospites venere, mox ipsa prior salutare,